

**D. Ernestvs Henricvs Weber ... Procancellariis panegyrin medicam in
avditorio ivridico die XVI. et die XX. Sept. A. MDCCCXLII celebrandam
indicit : Annotationes anatomicae et physiologicae. Prol. VIII.**

Contributors

Weber, Ernst Heinrich, 1795-1878.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Lipsiae : Typis Guil. Staritzii, Typogr. Acad, [1842]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cwkga257>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Glasgow
University Library



RQ 1942/
87

D. ERNESTVS HENRICVS WEBER

ANATOMIAE ET PHYSIOLOGIAE PROFESSOR PVBL. ORD.

E T

VNIVERSITATIS LITERARVM LIPSIENSIS

H. T.

P R O C A N C E L L A R I V S

P A N E G Y R I N M E D I C A M

I N

A V D I T O R I O I V R I D I C O

DIE XVI. ET DIE XX. SEPT. A. MDCCCXLII.

— CELEBRANDAM

I N D I C I T.

Annotationes anatomicae et physiologicae.

Pro l. VIII.

D. ERNESTAS HENRICKAS WEBER

• RIO CACHOEIRAS

МАСИДАН МИЛГИНАТ

ALBATORIO LIBRARIO

Die ZA V ET DIE ZZ SEPT. V. MDCCCXVII.

Num hepar humanum in lobulos divisum
sit nec ne.

Hepar in lobulos divisum esse, Malpighius multis observationibus probare studuit. Nititur nimirum iis, quae in cochleis, piscibus, lacertis et vero etiam in mammalibus quibusdam, muribus, sciuris, bobus et omnium clarissime in animalibus nuperrime natis vidit. Non eandem quidem figuram lobulorum istorum in omnium animalium iecoribus invenit, sed admodum variam, in piscibus *v. c. trifolii*, in aliis animalibus nisi formam aemulantem. In hepate felis et hominis lobuli sex et aliquando plura latera habuerunt. Idem vir doctus lobulum quemlibet e glandulosis acinis peculiarem circumscriptiōnēm habentibus, ut plurimum hexagonis, aut pluribus lateribus insignibus constare dixit. Audijamus ipsa Malpighii verba: „In lacertis hepar in multiplices, oblongos et quandoque graciles dividitur lobos; in his ita evidentes sunt huiusmodi lobuli, ut absque microscopio conspici possint, quin etiam interstitia et eorum fines punctis quandoque atris designantur, in his quoque eadem consueta subdivisio observatur in singulis lobulis, qui glandulosis acinis constant.“

„In piscibus et praecipue in Galeo hepar conflatur (quod usu microscopii quin et solis ipsis oculis conspici potest) ex lobulis, quales in pulmonibus iam descripsimus, fere innumeris membranosis nexibus continuatis, quorum figura trifolium ruditer aemulatur.“

„In sciuro elegans et clara est iecoris compositio: primo namque in multiplices dividitur fibras, quas interstitiorum diversus color in plures lobulos divisos indicat, et tandem emergunt glandulosi illi acini extra assurgentēs, ut quid distinctius vix conspici possit.“

„In bovis itaque iecore, ablata tunica, interstitia et contermini lobulorum fines observantur, in maioribus praecipue vasorum bifurcationibus,

ubi dum hepatis compages disrumpitur ex solidis vasorum ramis ita custodiuntur intercepti lobuli, ut eorum exterior structura et nexus conspicit possit. Hoc etiam felicius accidit, si leviter iecur maceretur et postremo elixatione media; licet enim nectentes et investientes corrugentur membranae, evidenter tamen lobuli redduntur.“

„Hoc totum mihi primo sese videndum facillimo negotio obtulit in animalibus nuperrime natis et praecipue in fele, in quo ab extima hepatis superficie ita distincti emergunt lobuli, ut repraesentent Anaglypta suis intercapelinibus et spatiis.“

„Tandem in hominē, diluto p̄gaceipue sanguine, immissa aqua, iecoris omnem substantiam lobulis contextam observabis, qui et ipsi cum caeteris p̄fectoribus brutis racemorum congeriem exhibent, quod ut pateat diversa perquirenda sunt iecinora, a quibus coctis unguium operi exterior membrana leviter abradatur, ita ut concludere possimus, hoc perpetuum extare in singulis animalibus.“ (Malpighii Opera omnia Lugduni B. 1587. 4. de hepate cap. II. pag. 252—255.)

Plūrimi anatōmici Malpighium secuti sunt et hepar ex lobulis compositum esse dixerunt, eosque haud raro alio nomine granulationes, corpuscula glandulosa, vel etiam acinos appellaverunt.

Ferrein in quolibet lobulo hepatis duplicem adeo substantiam distinxit, *corticalem* exteriorem, rubro flavidam, et *medullarem* interiorem, centrum cuiuslibet lobuli occupantem simulac rubram et molle. Illam magna ex parte e ductibus biliferis constare credidit. (Hist. de l'ac. roy. des sc. 1733.)

Novissimo tempore Kiernanus Malpighianam illam sententiam magis excolere et figuris illustrare studuit. Delineationes vero eius magna ex parte ideales, neque verae hepatis structurae consentaneae sunt.

Ex quo vero mihi contigit esse tam felici, ut vasa bilifera minima hepatis humani injecta materia solidescente replerem, certissimus factus sum, hepar lobulis et acinis non constare, sed vasa bilifera minima rete per totum hepar continuo expansum, neque rimis neque septis cellulosis

interrupium formare. Idem etiam vidi, cum rete capillare sanguiferum, venam portae cum venis hepaticis coniungens innectis materiis conspicuum redderem. Nam hoc etiam rete per omnes hepatis partes distributum nusquam per fissuras aut telam cellulosam in lobulos divisum est.

Sed unde quaeso hic error virorum celeberrimorum de anatomia hepatis optime meritorum? Rami minutæ venae portae in toto hepate dispersi, e quibus vasa capillaria hepatis oriuntur, sibi invicem obviam veniunt atque hoc modo spatia includunt, quae in plano secto raro hexagona aut multangularia apparent. Haec vasa sanguifera a vasis biliferis hepatis comitata pro terminis lobulorum, spatia inclusa, substantia hepatis repleta, pro lobulis habita sunt. False dictum est, ramos illos venae portae in fissuris, tela cellulosa repletis, lobulos invicem separantibus, positos esse. Etenim tales fissuræ non adsunt. Imo experimentis meis probatum est, hepatis particulas pro lobulis habitas interstitia esse inter ramos venæ portae sibi invicem obviam venientes, substantia hepatis repleta. Quoniam igitur particulae illae non fissuris invicem separantur, sed viis ramorum venae portae a vasis biliferis comitatorum, vicinae particulae sub his viis et inter has vias vasorum invicem cohaerent unamque per totum hepar continuam substantiam formant.

Argumenta, a Malpighio, Ferreinio et Kiernano allata, ad fissuras, lobulos hepatis separantes, demonstrandas, plane non sufficiunt. Observatio v. c. hepar ita disruppi, ut in superficie eius particulae lobulæ similes promineant, id quod docendum est non probant. Si Malpighio demonstrare contigisset, lobulos hepatis a vicinis lobulis tela cellulosa separari capsulae Glissonii continua, quis quaeso de lobulorum existentia dubitare posset? Sed haec magis ex analogia pulmonum aliarumque glandularum suspicata, quam certe observata sunt. „In compingendo itaque hepate“ inquit Malpighi „talis videtur firma naturae methodus. Vasa in iecore medio involuero cummuni a Glissonio observato ita in ramos hinc inde disperguntur, ea inquam proportionali via quam in pulmonibus intuemur; ad singulas autem vasorum propagines licet etiam exiles, lobuli

appenduntur conicam ut plurimum servantes figuram non absimilem a descripta iam in pulmonum divisione; consimilem etiam passim in pancreate caeterisque conglomeratis glandulis observamus. Lobuli hi propria circumambiente membrana vesiuntur et continuatis per transversum membranosis nexibus firmantur, ita ut intermedia spatia et rimulae, minima tamen, inter loborum latera emergant et taliter sibi ad invicem adaptentur, ut nec maior nec minor inde intercapedo suboriatur, mutua scilicet conorum magnitudine situ et adaptatione, ut evidentius in pulmonibus demonstravimus.[“] Lobulos pulmonis Eduardus frater egregie invicem separavit hac re, ut sub membranam serosam eius aquam iniiceret, eamque telam cellulosam extenderet et conspicuam redderet, quae fissuras, lobulos invicem separantes, explet. Tale experimentum neque in hepate factum est, neque felicem successum habere potest, lobuli enim fissuris invicem separati non existunt. Ex analogia pulmonum et glandularum conglomeratarum nihil recte concludi potest. Causa, cur pulmones et glandulae salivales in lobos, lobulos, minoresque lobulos dividuntur in ductu excretorio formam arboris habente posita est. Rami et ramuli huius arboris non invicem concurrunt et communicant. Quoniam rami finiales tumidi et clausi ductuum excretoriorum fundamentum et substratum lobulorum minimorum constituant; lobuli ramis ductuum excretoriorum appendent, neque invicem alia ratione, quam interventu ductuum excretoriorum maiorum inter se communicant. Sed haec alio modo se habent, si ductus secretorii non arboris, sed retis, formam habent. Hoc v. c. in avium pulmonibus accidit. Qui quidem hanc ob rem, fratre Eduardo teste, pulmones accuratissime inquirente, non lobis et lobulis compositi sunt, sed texturam per totum pulmonem continuam habent. Si figurae a Kiernano exhibitae (Phil. Transact. 1833 Pl. XXII) verae hepatis structurae plane responderent, de lobulorum praesentia nemo posset dubitare. Eae vero ideales sunt et imaginatae. Lobuli hepatis sub recto angulo discissi, in figuris Kiernani ita delineati sunt, ut fissura in uno plano secto lobulum circumdans lobulum eundem etiam in altero plano

septo circumdaret. Id vero in hepate non invenimus. Linea pro fissura habita, in altero plano secto conspicua, in altero plano plerumque non adest. Lobulus, qui in altero plano a vicinis lobulis separatus esse videtur, plerumque in altero plano secto cum iis continuo cohaeret. Lobulos tela cellulosa aut fissuris separatos in hepate non adesse, certissime eo probatur, quod vasa capillaria sanguifera rete continuum, nuspam fissuris aut tela cellulosa interruptum, formant, et idem de vasis capillaribus biliferis valet.

Alia causa erroris in diverso colore diversorum stratorum hepatis quaerenda est. Verum est hepar mortuorum animalium stratis duobus admodum incurvis et flexuosis, colore discrepantibus constare, et hac re in disciso hepate atque in superficie eius speciem oriri innumerorum lobulorum flexuorum. Causa vero duplicitis coloris, rubicundioris et flavescentis, haec est: Rami minuti *) venorum hepaticarum vasa capillaria hepatis in se recipientes a substantia hepatis rubicundiori circumdati sunt, quam rami minuti venae portae, vasa capillaria hepatis emitentes. Nimirum vasa capillaria in venas transeuntia paululum ampliora sunt, quam vasa capillaria e venae portae ramulis proficiscentia, atque quemadmodum sanguis plerumque post mortem in venis et in vasis capillaribus cum venis proxime cohaerentibus coacervatur, ita in hepate quoque non in vasis sanguinem adduentibus, sed in reducentibus cumulatur. Atque haec cumulatio facilior redditur hac re, quod vasa capillaria, cum minutis ramis venarum hepaticarum proxime cohaerentia, paululum ampliora sunt quam vasa capillaria a ramis minutis venae portae emissa. Color rubicundior igitur a sanguine post mortem in certis hepatis stagnante pendet, color pallidior et subflavus a vasis capillaribus sanguine stagnante non repletis. Color flavus vasorum biliferorum enim magis in conspectum prodit, si sanguine stagnante vicinorum vasorum non obscuratur. Attentione vero medicorum practicorum dignissima est observatio, iterum iterumque confirmata non semper rem

*) Ramos minutos ramos eius ordinis appello, a quibus vasa capillaria immediate emittuntur, aut recipiuntur.

ita se habere, sed nonnunquam in quibusdam partibus hepatis substantiam ramis minutis venae portae propiorem rubicundiorum esse, si nimur sanguis in minoribus ramis venae portae atque in vasis capillaribus stagnavit, quae cum vena portae et arteriae hepaticae ramis proxime cohaerent. Causam diversi coloris a stagnante sanguine pendere injectione materiarum coloratarum in venam portae et in venas hepaticas a me probatum est. Etenim flava materia tenuissima in venas hepaticas iniecta stratum hepatis, alias rubicundum, flavum colorem acquisivit, contra rubra, materia subili in venam portae immissa, stratum hepatis alias pallescens rubrum redditur. Aqua in venam portae iniecta e venis hepaticis facillime effluit et magnam sanguinis partem secum fert. Hoc modo totum hepar pallescit et diversitas rubrae et flavescentis strati ex parte imminuitur.

Causa, cur substantia rubicundior et flavescens hepatis non eandem plane formam habeant, sed rubicundior substantia centrum, flavescens substantia peripheriam partium cum lobulis comparatarum occupare videatur, in hac re posita est: rami minuti venarum hepaticarum, vasa capillaria immediate recipientes, et rami minuti venae portae vasa capillaria emitentes, alternatim in hepate positi sunt, ita ut illi in interstitiis horum ramorum siti sint et vice versa hi in interstitiis illorum ramorum. Rami minuti venarum hepaticarum aliam formam habent, quam rami minuti venae portae. Hi, longiores, sibi invicem obviam veniunt et sensim paulatimque in minores ramos et denique in vasa capillaria dividuntur; illi breviores sunt et repente in vasa capillaria et quidem paululum crassiora transeunt. Rami venarum hepaticarum minuti ab illis ramis curvatis et longioribus venae portae circumdantur. Caeterum rami minuti illi venarum hepaticarum non solum e tenuibus ramis, sed etiam magna copia e truncis maximis immediate oriuntur, hinc fit, ut numerus ramorum in oculos facile incurrentium minor sit in venis hepaticis quam in vena portae. Venae hepaticae enim repente in minutos illos ramos dividuntur, vena portae vero sensim paulatimque in minores ramos dissolvitur.

Ex omnibus a me nunc allatis concludendum est, *hepar humanum*

in lobulos divisum non esse, neque cum Malpighio conglomeratis glandulis adnumerari posse, sed substantiam pulposam hepatis per totum hepar continuum, fissuris et sepimentis cellulosis in particulas non dividi, sed potius e duplice genere canaliculorum subtilissimorum constare primum, e vasis capillaribus biliferis, innumeris anastomosibus invicem undique communicantibus et hoc modo rete continuum, per totum hepar expansum, densissimum, formantibus; deinde e vasis capillaribus sanguiferis, quae et ipsa innumeris anastomosibus invicem communicant et rete continuum per totum hepar expansum, aequa densum, formant, haec vero vasa bilifera et sanguifera inter se anastomosibus non communicare, sed tantum in intimo contactu esse, hac re, quod interstitia retis alterius, a canalibus alterius retis expletur.

Hae sententiae non hypotheticae sunt, sed observationibus multis probatae. Rete capillare vasorum sanguiferorum per totum hepar continuo expansum materiis coloratis in vasa injectis repletum frater et ego in conspectum produximus. Idem injectiones ab Hyrtelio celeberrimo in vasa hepatica factae probant et confirmant. Rete vasorum biliferorum ita expansum, ut intelligatur lobulos non adesse, in hepate humano ante oculos posui, in quo nulla alia vasa praeterea repleta erant, neque materia injecta ruptura vasorum biliferorum in vasa sanguifera transierat. Ramos, a quibus retia vasorum biliferorum oriebantur, usque ad ductum hepaticum oculis persequi licuit, ita ut nullo modo dubitari potuerit, quin rete vasorum injectione repletum recte pro reti vasorum biliferorum haberetur.

Nec vero plane caruimus occasione, utrumque illud rete capillare, biliferum et sanguiferum, simul in conspectum producendi, et rationem, qua haec duo retia se invicem amplectuntur, demonstrandi.

Si nimirum vasa capillaria sanguifera hepatis alba materia, cerussam continente, repleta sunt et partes hepatis vasa bilifera turgentia continentis luce solis illustratae et microscopii ope inquisitae sunt, hic illic vasa capillaria bilifera et sanguifera simul conspicere et qua ratione vasa capillaria bilifera intersticia vasorum sanguiferorum expleant perspicere contigit. Hoc

enim modo vasa sanguifera arte anatomica, vasa capillaria bilifera natura
bile repleta sunt. Quoniam vero parietes vasorum capillarium biliferorum
admodum pellucidi sunt et bilis etiam vasa implens luci non satis im-
pervia est, vasa bilifera capillaria non rotundorum canaliculorum, sed
vacuarum fossularum speciem offerunt, viridisque bilis color ibi potis-
simum cernitur, ubi vasa bilifera verticaliter ad oculos posita sunt.

Eadem hepatis structurae vasorumque capillarium sanguiferorum
et biliferorum relatio inter se sine omni arte anatomica clara est in hepate
pulli gallinacei ex ovis die incubationis unde vigesimi, vigesimi aut vige-
simi primi exempti. Mox enim probabo vasa bilifera pulli gallinacei hoc
tempore ita globulis vitelli repleri, ut maxime turgeant, et microscopio
indagari queant, simulac vasa sanguifera sufficientem sanguinis copiam
continere, ut a vasis biliferis discernantur. Hoc casu vero vasa capillaria
bilifera multo facilius in oculos in currunt, quam vasa capillaria sanguifi-
fera non penitus sanguine repleta. Hinc fit, ut hoc casu vasa sanguifera
speciem fossularum rubrarum afferant, vasa capillaria bilifera vero cana-
les flavi rotundi esse videantur. Itaque si ea, quae iniectione materiae
albae in vasa sanguifera conspicua redduntur cum iis comparamus, quae
hoc casu cernimus, vera hepatis structura eo clarius cognoscitur.

Disquisitiones anatomicae ad illustrandam structuram hepatis omnes
a me in homine adulto factae sunt, excepto pullo gallinaceo. Quamob-
rem de ratione, qua ductus biliferi in embryonibus oriuntur et crescunt
iudicium ferre non audeo. Ex iis, quae de vasorum biliferorum aber-
rantium forma narravi, suspicandum est, formam vasorum biliferorum
in parvis embryonibus non eandem esse, quam in adultis. In animo est
in posterum in hac re illustranda Iohannis Mueleri vestigia premere.

Occasionem haec scribendi obtulit Virorum doctissimorum promotio
ad summos in arte medica honores, de quorum vita nunc ea referenda sunt,
quae cum Ordine Medico communicaverunt: Et primum quidem

VIR PRAENOBILISSIMUS ATQUE DOCTISSIMUS

RUDOLPHUS CHRISTIANUS WEINLIG

DRESDENSIS

MEDICINAE BACCALAUREUS

ita de vita exposuit:

Natus sum Dresdae a. h. s. XVIII, patre CHRISTIANO THEODORO, artem musicam tunc apud Dresdenses privatim docente, cuius obitum pruematurum acerbissime lugeo, atque matre CHARLOTTA EMILIA e gente TREITSCHKIANA, quam dilectissimam adhuc mihi superstitem esse, non possum quin ex intimo mihi gratuler animo. Anno h. s. XXIII. pater Lipsiam vocatus est ad munus cantoris et collegae scholae Thomanae nec non musices ad aedes St. Thomae et Nicolai directoris suscipiendum. Inde evenit, ut prima litterarum elementa in schola, quae Lipsiae floruit, privata Platonis edocerer. Anno aetatis undecimo receptus inter scholae Thomanae discipulos, ibique per octo annos virorum Doctiss. STALLBAUMII, LAHNII, beat. RICHTERI, LIPSII, DIETERICI aliorumque usus sum institutione. Anno h. s. XXXVII scholam reliqui et d. VIII Apr. a summe venerabili SCHILLINGIO, tum Rectore Magnifico albo Academiae Lipsiensis inscriptus, ad medicae artis studium accessi. Audivi Exp. KNESCHKE de encyclopaedia et methodology, Exc. SCHWAEGRICHEN et KUNZE de botanice et historia naturali, Ill. HEINROTH de anthropologia, Exc. FECHNER de physice, Exc. KUEHN jun. de omnibus chemiae partibus et theoreticis et practicis, Exc. WEBER et BOCK de anatomia et physiologia. Porro interfui scholis Exc. BRAUNII de materia medica, Exc. CERUTTII de pathologia et therapia speciali, Exc. KUHLII et CARI de omnibus chirurgiae partibus, Exc. KNESCHKII de oculorum morbis; denique Ill. IOERGII de arte obstetricia. Ad practicam transgressus institutionem scholam clinicam regiam Ill. CLARO et beato KUHLIO, scholam clinicam privatam Exc. RADIO, clinicam obstetricium Ill. IOERGIO et policlinicam chirurgicam Exc. CARO et WALTHERO ducibus frequentavi. Per ultimos menses anni h. s. XXX

usque ad mensem Aprilis a. XXXXI beato SCHEIDHAUERO et Exp. REUTERO in aegrotis pauperibus curandis adfui. Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias habere potero vix dignas. Exp. GUENTZIO vero, qui a mense Aprilis a. h. s. XXXXI per annum integrum me sibi a manu esse voluit, et magnis favoris sui testimoniiis me ornavit, maximas, quae nunquam persolvi possunt, ago gratias. Examen medicum theoreticum mense Iunii a. h. s. XXXIX, practicum mense Iunii a. h. s. XXXXII feliciter superavi.

Porro in conspectum producendus est Candidatus summorum in arte medica honorum

VIR PRAENOBILISSIMUS ATQUE DOCTISSIMUS
AURELIO BUDDDEUS
ALTENBURGENSIS
MEDICINAE BACCALAUREUS

his verbis vitam ante actam literarum studio dicatam enarrans:

*Natus sum Altenburgi a. h. s. XVII; patre IOANNE CAROLO IMM**NUELE**, rerum aulicarum, publicarum et ecclesiasticarum administrandarum a consiliis, matre SOPHIA CAROLOTTA, e gente patricia Hempeliana, qui dilectissimi parentes, ut ad seros usque aetatis annos salvi ac sospites perveniant, in votis ferventissimis habeo.*

Primam, qua puerilis aetas erudiri solet, institutionem, in primis religionis christianaee principia, a Doct. JEHSIO accepi. Tunc vero, quum parentes Geram domicilium delegissent, Doct. KOPPENHEELIUS et TISCHENDORFFIUS primis literarum elementis inter privatos parietes me instruxerunt et tum gymnasium, quod Gerae floret, per quatuor annos et quod excurrit adii. — Postea cum parentibus Lipsiam migratus, a. h. s. XXX a beato ROSTIO rectore scholae Thomanae adscriptus sum, ubi ferme per quinquennium et supra usus sum disciplina virorum excellentissimorum atque amplissimorum: b. RICHTERI, b. ROSTII, STALLEUMII, HOHLFELDII, DIETERICHII, GUENTHERI.

Anno h. s. XXXVI, ut medicinae operam darem, in album Academiae Lipsiensis ab Ill. GUENTHERO, tunc temporis Rectore Magnifico, relatus, praeceptores habui in philosophia Exc. BIEDERMANNIUM, in medicinae methodology et encyclopaedia Exc. KNESCHKIUM, in mineralogia, zoologia et botanice Exc. SCHWAEGRICHENUM, KUNZIUM et POEPPIGIUM, in physice Exc. FECHNERUM, in chemia tam theoretica, quam practica Exc. KUEHNIIUM, in anthropologia Ill. HEINROTHUM. Anatomiam vero tam generalem, quam specialem, physiologiam, embryologiam atque artem cadavera secandi Exc. WEBERI fratres, HENRICUS et EDUARDUS, me docuerunt, quibus pro tot tantisque erga me meritis atque beneficiis humanissimas hic ago gratias.— Pathologiam et therapiam generalem Exp. NEUBERTUS, specialem ultramque Exc. CERUTTIUS, materiam medicam Exc. BRAUNIUS, artem obstetriciam Ill. IOERGIUS, psychiatriam Ill. HEINROTHIUS me docuerunt. Praeterea vero praeceptores habui: in chirurgia atque arte fascias applicandi Exc. CARUM et b. KUHLIUM, in ophthalmiatria et arte formulas concinnandi Exc. KNESCHKIUM, in anatomia pathologica atque arte obductiones mortuorum rite instituendi Exc. HASSIUM. Praeterea Ill. CLARUM de acustice medica et de exanthematibus chronicis, Exc. WENDLERUM de medicina forensi, Exp. FRANKIUM de strabismo eiusque cura disserentes audivi. — Ita ad studia practica praeparatus institutum clinicum regium ducibus Ill. CLARO, Exc. WENDLERO et b. KUHLIO adii, institutum ophthalmiaticum, quod Exc. RITTERICHO directore gaudet, nec non institutum polyclinicum externum, Exc. CARO et WALThERO moderatoribus, frequentavi. Postea per annum integrum arti obstetriciae in instituto Trieriano, sub Ill. IOERGII auspiciis operam dedi; praeterea demonstrationibus clinicis in nosodochio ad aedam Divi Georgii ab Exc. RADIO habitis, interfui atque institutum polyclinicum internum, quod sub Exc. CERUTTIO et BRAUNIO floret, assidue frequentavi. Qui viri tanta benignitate et humanitate artis non solum discenda, sed etiam exercenda tam largam occasionem mihi praebuerunt, ut gratissima eorum memoria non nisi cum vita ipsa sit interitura. Examen medicum theoreticum, mense Aprili a. h. XXXIX. practicum mense Maio a. c. subii.

Quibus quidem examinibus superatis utrumque candidatum summis in arte medica honoribus ornandum simulac in theoreticis medicinae doctrinis tertia, in practicis secunda censura dignum censuimus. Disputatio

igitur a Clarissimo Weinligio „*De Abulia*“ et a Praenobilissimo Buddeo „*De venarum, praecipue vero sinuum cerebralium inflammatione*“ scripta, ab illo die XVI., ab hoc die XX. m. Sept. rite contra adversarios doctissimos defendenda est, quo facto iisdem diebus utrique Candidato Licentiati honores more maiorum impertiar, ad quas solemnitates academicas celebrandas VOS RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PROFESSORES ET DOCTORES HUIUS LITERARUM UNIVERSITATIS CELEBERRIMOS, COMMILTONESQUE HUMANISSIMOS ET ORNATISSIMOS invitavi.

LIPSIAE,

TYPIS GUIL. STARITZII, TYPOGR. ACAD.



